ORATIO.

QUemadmodum Jeremias Propheta Domini, cap. 1. Lamentationum, querimonias lugubres de miserabili Judæorum statu instituit, ac de calamitatibus Ecclesię, exstincto Josia, & regno Judææ per AEgyptios divexato, conqueritur, Propter hæc (inquiens) ego fleo ex oculo meo, ex oculo meo descendit aqua, quia longé á me abest consolator, qui reficiat me; sunt filii mei desolati, quia invalescit inimicus: ita & ego hisce novissimis iisq; exulceratissimis temporibus justé conqueri, Ecclesiæ Dei & Germaniæ patriæ nostræ mala deplorare, ac de conditione earundem lamentum facere possum. *Exordium.*

Quoties enim recordor afflictissimum & miserrimum Reipub. tum Christianæ tum politicæ statum, quo non tantúm bellis Germania scatet, sed & odiis, sed & controversiis de Religione in Ecclesia Dei motis; ita ut omnia illa, de quibus JESUS CHRISTUS Salvator noster Matth. 24. & Luc. 21. asserit, feré videantur esse completa, ac proinde adventus Domini ad judicandum vivos ac mortuos non procul abesse, sed jam jam instare, sed præstó adesse videatur: Quoties etiam recordor, præstantissimos & piissimos viros, heroas fortissimos, qui pacem suadere, neque quicquam quod ad pacis conciliationem & conservationem pertinere putatur, intermittere, odia ubique gliscentia tollere, dissidia & certamina de religione orta exstinguere, ac radicitus evellere conati sunt, ex hac miseriarū valle evocatos discessisse; toties toto pectore commoveor, vehementerq; perturbor. Ac ne de aliis mentionem nunc faciam, Electorem Johannem Fridericum Ducem Saxoniæ, & Landgravium Philippum senio- *Ratio exordii.* *Multi Principes defuncti intra paucos annos.*

rēm, bellicosissimos, religionis Euangelicæ contra Pontificum idololatriam defensores & assertores maximé strenuos intelligo, Palatinum Rheni & Imperii Romani Electorem, Otthonem-Henricum intelligo, Fridericum III. Palatinum & Electorem, pietate, humanitate & omnibus omnino virtutibus illustrissimum & clarissimum intelligo, & Gulielmum seniorem Comitem Nassovium, qui ob insigne pacis studium, quo totus flagravit, pacificus ab historicis dicitur, & Philippum Comitem Solmensem, hujus de quo dicturi sumus parentem inclytum dico; Gulielmum Principem Auraicum, & Comitem Nassovium, ejusq; fratres Ludovicum, Adolphum & Henricum, qui strenué pro patria & religione dimicarunt, intelligo; Landgravium Philippum juniorem, D. Hermannum Comitem á Weda, Hermannū Comitem á Sein, Ernestum Comitem Solmensem intelligo; Christianum Ducem & Electorē Saxoniæ, itemq; Ducem Johannem-Casimirum Palatinum, de Ecclesia Dei optimé meritū, atq; Landgravium Gulielmum Romani Imperii Principem nō infimum, & ut alios, eosq; complures omittā, Chunradum illū Solmensem (de quo oratio hæc instituta est) Comitem illum piissimum, humanissimū, erga bonos quosvis benevolentissimum, pacis studiosissimum, & de Ecclesia Dei optimé meritum intelligo, qui non ita pridem maximo gravissimoque cum uxoris Comitissæ pientissimæ, liberorum præstantissimorum & subditorum luctu summoque cum piorum & bonorum omnium dolore ac mœrore decessit. Quis igitur hæc audiens, mœrore non afficeretur? quis tot tantosque Principes nobis esse ereptos non doleret? quis columnas in Ecclesia Christi lapsas non deploraret? quis Principes & Comites, qui patriæ, qui Reipublicæ Christianæ & politicæ, qui scholæ, qui omnibus bonis, qui singulis denique prodesse & inservire semper parati erant, á nobis avulsos non plangeret? inprimisque quód Principum & Comitum optimorum memoriam malevoli & adversarii nostri, convitiis proscindere, probris aspergere, convitiorum, mendaciorum,

In his nunc Chunradus Comes Solmensis.

daciorum, figmentorum aliquot plaustra fingere non vereantur? Ne igitur minús commodé & honesté de illustri ac generoso Comite, Domino Chunrado Solmensi piissimo sentirent & loquerentur malevoli, neq; figmenta pro more suo de ipso spargerent, operæpretium me facturum putavi, si in præsenti (quod benevolé & attenté vos audituros spero) de vita & morte illustris ac generosi Domini Domini Chunradi, Comitis in Solms, Domini in Mintzenberg & Sonnevvald, ad exequias ejus cohonestandas, & justo parentalium honore prosequendas aliquid dixero. Dignus profectó omni virtutum laude & honore heros ille præstantissimus: Iis enim maximé claruit: atque omnibus omnino, quotquot unquam eum convenerunt, benefacere studuit. Natus est feliciter, ut á primo ejus ortu narrationis telam ordiar, in arce Brunfelsica antiquissima Solmensium sede, ex illustribus & inclytis parentibus, Domino Philippo Comite Solmensi, & matre Anna Tecceln burgensi, é familia & stirpe non infima, non obscura, sed augusta, splendida & celeberrima, cúm post millesimum quingentesimum annus Christi Jesu nati hominis curreret quadragesimus, 17. Junii. Parentes veró cúm secundúm sacram Scripturam liberos in timore Dei & pietate educandos haud ignorarent, atq; literas viro politico esse necessarias, & omnia jacere in tenebris, nisi literarum lumen accendat, cognoscerent; nihil quod ad educationem pertinere putatur, intermiserunt, sed omnem (ut dicitur) lapidem moverunt, ut hunc suum filium, in artibus humanioribus, in linguis reliquisque disciplinis, maximé veró in pietatis doctrina recté erudiendum atque informandum curarent. Sapienter enim & prudenter judicarunt, hæc studia (liceat mihi Ciceronis verbis uti) adolescentiam alere, senectutem oblectare, secundas res ornare, adversis perfugium & solatium præbere, delectari domi, non impedire foris, pernoctare nobiscum, peregrinari, rusticari. Quocirca præceptorem M. Justum Hœnonium, virum doctissimum & integerrimum, filio suo præfecerunt: hujus disciplinæ, institu-

Secundù ad propos.

Propositio.

Patria.

Parentes.

Annus nativitatis.

Educatio.

tioni, inspectioni ac fidei filium suum tradiderunt; ipse veró in album discipulorũ adscriptus, præceptorem unicé amavit, amorem debita reverentia & obedientia comprobavit, in omnibus morem gessit, diligentiam, industriam ac sedulitatem adhibuit, atque officium boni piiqúe discipuli semper præstitit, honorificam semper ejus mentionem fecit, Marci Tullii Ciceronis illud pro Planco imitatus: Nemo est nostrum, inquit, liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse altus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur. Verum enim veró cúm cõdiscipulus alterum sæpe ad discendum reddat alacriorem, nec raró alter ab altero aliquid addiscat, hic Comes noster Chunradus á parentibus Tillenbergam ad uberiorem in literarum & disciplinarum studiis fructum capessendum traductus, condiscipulos & commilitones habuit illustres ac generosos Comites, Dominum Johannem nunc seniorem Comitem Nassovium (qui vivat in æternum) ejusque Celsitudinis fratres, itemque Dominum Wolgangum Comitem Isenburgicum, & alios: hos si non præcedere, saltem proximé insequi, eísve æqualis esse studuit. Adultior factus, uná cum aliis inclytis Comitibus Argentoratum urbem Imperialem missus, præter alios viros virtute & eruditione insignes, magnum illum Theologum, & eximium Jesu Christi servũ, Petrum Martyrem Vermilium (cujus singularem humanitatem in familiari colloquio & in quotidiano docendi usu gravitatem & dexteritatem summã sæpe prædicare solebat) magna & gravia eaq; secundúm unicam verbi divini normã ac regulam docentẽ attenté audivit, ex eo pietatis, verioris & sincerioris religionis doctrinam auxiliante Spiritu S. solidé percepit. Anno sequenti, ab inclyto parente, ut apud exteros aliquem sibi usum & experientiam veluti adminiculum rerum in omni vita bene dextreq; gerendarum acquireret, & ad ditionis Comitatusq; Solmensis (cujus unicus erat hæres) administrationem aliquando rediret doctior, promtior ac paratior: Heidelbergam ad

Studia puerilia Tillenberga.

Condiscipuli ejus.

Juvenilia Argentorati.

Petrus Martyr.

aulam

aulam Otthonis-Henrici Palatini ad Rhenum & Electoris illustrissimi missus est. Domum reversus cúm hominem hac lege conditum esse, ut solitariam vitam non ageret, sed adjuncto sibi auxilio uteretur, haud ignoraret; conjugium tanquam rem sibi vel inutilem vel supervacaneam contemnere noluit, sed animũ ad istud facilé appulit. Illustrem ergo ac lectissimam tum temporis virginem Dominam Elisabetham, Comitissam Nassoviæ, illustris ac generosissimi Domini, Domini Gulielmi Comitis Nassovii Cattimelibocensis filiam, de cõsensu & consilio utrinque parentum, anno 59. mense Junio in uxorem duxit, nunc miseram (proh dolor) & propter mariti piissimi obitum afflictam viduam; nuptias Tillenbergæ, eodem die, quo Dominus Joannes senior, Comes Nassovius, cum illustrissima Principe Leuchtenbergensi Elisabetha, itemq; inclytus Comes Albertus Nassovius in Sarbrücken cum generosissima Domina Anna, Elisabethæ illius sorore, celebravit. Hanc pudicissimam conjugem suam unicé adamavit, charissimam amantissimamq; semper habuit, summopere dilexit, cum hac in turturum concordia, pace summa, amore & castitate, vitam quietam & tranquillam egit, cum hac placidé vixit, humaniter eam tractavit, & omnino talem sese gessit, qualem Apostolus Paulus Eph. 5. v. 14. maritum requirit; ita inquiens: Viri suas uxores diligere debent, ut sua ipsorum corpora. Item, Qui diligit suam uxorem, seipsum diligit. Ex hac benedictionem Jehovæ, de qua in Psalmo 128, abunde largiterque percepit. Ex hac enim filios novem (quorum unus ex hac miseriarum valle á Deo avocatus, maturé discessit) & filias quinque, quarum quatuor ex hac vita emigrarunt, suscepit. Hosce omnes ac singulos superstites, in omni disciplinarum genere, in omni pietate, in omni morum honestate, non sine sumtibus maximis, non sine singulari liberalitate & promotione evidenti erga præceptores, quos ipsis præfecerat, non tantúm domi, sed etiam foris, non tantúm in Germania, sed & apud exteros aluit, diligenter, seduló ac solicité informari, insti-

Heidelbergæ in aula Otthonis-Henr.

Nuptiæ.

Concordia cum uxore.

Liberi ejus.

Accurata liberorum institutio.

tui ac erudiri curāvit, magna ſpe progreſſus filiorum in ſtudiis & pietate perpetuó expectavit, nec veró ſpes eum fefellit. Omnes enim ac ſinguli progreſſus haud pœnitendos fecerunt: teſtes ſunt omnes, qui hoſce generoſos Comites norunt. Sed ad alia pergo. Factus maritus & liberorum parens, huc toto ſtudio enitebatur, ut & virtutes, pietas nimirum, ſapientia, juſtitia, humanitas, fortitudo & aliæ, quibus á primis annis imbutus erat, magis magisque in ſeſe elucerent. Ad pietatem namque quod attinet, Divi Pauli ſententiam, pietatem aſſeverantis ad omnia utilem, utpote quæ non tam hujus præſentis, quám futuræ vitæ promiſſionem habeat, ſemper in animo habuit, volvit, atque revolvit; hanc ſtudiosè coluit, huic unicé ſtuduit, in eam dies noctesque incubuit, hanc fundamentum omnium virtutum certó ſtatuit; pietate adverſus Deum ſublata fidem etiam & ſocietatem generis humani tolli cenſuit: hac ſublata, unam excellentiſſimam virtutem juſtitiā tolli, pro certo habuit: id quod multis rationibus nominibusque (ne verba tantúm eſſe putes) evidentiſſimis cōprobavit. Nam verbum Dei ſemper magnifecit, atq; miniſterio verbi & Sacramentorum nihil in tota vita præſtantius, nihil prius, nihil antiquius, nihil religioſius duxit; ad viſendos cultus Dei nō poſtremus, ſed omnium primus præſtó adfuit, & ad eos nō aliter ac pſaltes de cervo deſiderāte fontes aquarum anhelavit, codices ſacros die nocteq; perluſtravit, neq; ullū diem ſine lectione Bibliorū prętermiſit, ſed ſuas cúm mane tum veſperi horas illas, quas ſacroſanctæ huic actioni deſtinarat, obſervavit, ſeduló legit memoriæque mandavit; quin imó de nulla alia re ſolicitus fuit, de nulla alia re priús ſuſcipienda cogitavit, quám vel concionē ſacram audiviſſet, vel ipſemet caput unum atq; alterum, adhibitis ſimul precibus ardentiſſimis, vel legiſſet, vel animo ſuo perpendiſſet. Biblia ſemper in templum ſecum portavit, teſtimonia á miniſtro citata perveſtigavit, lectionem quoque capitis pro concione libro aperto attenté auſcultavit, atq; uno verbo ut dicam, omnem voluptatem ſuam in lege Domini,

Virtutes ejus.

Pietas eius.

In templo quid egerit.

mini, id eſt verbo Dei, habuit repoſitam, unde etiam tantam ſibi ſcientiam comparavit, ut & in allegandis citandisq; Scripturæ ſacræ dictis, vel cum literato quovis exercitato, verbique miniſtro induſtrio certare diſputando, & de omnibus religionis Chriſtianæ articulis conferre, ex tempore reſpondere, & teſtimoniis ſacrarum literarum confirmare, ut res tempusque poſtulabat, poſſet. O inſigne Comitis Chriſtianiſſimi encomium! ô raram virtutem! ô virum piiſſimum & omni piorum laude digniſſimum! Hanc quoque pietatem cum ſubditis ſuis communicavit, & omnes ac ſingulos á primis tenerisque annis ad hanc aſſuefieri voluit. Cúm enim pro ſingulari ſua pietate, ſe ideó providentia Dei Opt. Max. qui Principatus & regna conſtituit, ad imperii adminiſtrationem perveniſſe, haud ignoraret, non ut luxu voluptatibusq; diffluereret, aut genio gulæq; indulgeret, aut ſubditos novis exactionibus (ſicut á multis hodie fieri ſolet) degluberet, ſed potiús ut regnum Dei augeret, ut verbum Dei magis ac magis propagaret & illuſtraret: omnē (ut ajunt) lapidem movit, omnes nervos intendit, ut hoc ipſum non verbis tantúm, ſed & reipſa & facto ipſo declararet. Itaque omnem diligentiam adhibuit, ut Eccleſiæ in tota ſua ditione recté conſtituerentur, doctrina ſincerioris religionis, omiſſa idololatria, omiſſis Papicolarum ritib. ac ceremoniis, dextré proponeretur, Sacramenta ſecundúm Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri inſtitutionem & ordinationem adminiſtrarentur, operamq; dedit, ut populus de Deo vero, de ejusdem vero cultu, de veris vitæ Chriſtianæ officiis inſtitueretur. Nec veró aliis ſolúm hanc provinciam commiſit: ſed ipſemet, ipſemet inquam, inſtar pii illius regis Ezechiæ, Eccleſias Comitatus ſui viſitavit, ipſemet populum ſuum allocutus, & ad pietatem, relictis expurgatisq; Papicolarum fermentis, adhortatus eſt, & ut ſcopum hunc ſibi propoſitum in propaganda pietate, & erudiendis ſubditis eó faciliús conſequeretur, in omnibus ditionis ſuæ (pium opus profectó & beneficium magnum) pagis etiam minimis ſcholas aperuit, præcepto-

Ipſemet inſpector.

Scholas in omnibus pagis suæditionis aperuit.

res,qui liberos masculos & fœmellas pariter in pietate,in doctrina Christiana recté informarent, & á teneris σὺν θεῷ instillarent, constituit,atque sumtibus suis potissimúm aluit: quibus omnibus & singulis,se ut nutricem Ecclesiæ Jesu Christi re & facto,secundúm Prophetæ Jesaiæ cap. 49. vaticinium demonstravit,& quám sancté erga subditos,& verbi ministros affectus esset, satis superq; ostendit. Neque veró hoc prætereundum puto, quód cúm illustris ac inclytus heros,Comes Johannes Nassovius (qui in æternum vivat) scholam celebrem ex zelo in verbum Dei,& ejusdem ad posteros propagationem ferventissimo maximeque Christiano Herbornæ annis superioribus aperiret, in qua non tantúm Præceptores,Doctores ac Professores, omnium artium, linguarum, & facultatum celeberrimos suis sumtibus honesté aleret,sed & studiosos pauperes, quibus res angusta domi obstaret, alumnos plurimos in Communitatem (quam vulgo vocant) gratis reciperet, gratisque pasceret,& magnos in ea re sumtus faceret,quód,inquam,piissimus ille Comes noster Chunradus,quingentos florenos, & aliquot siliginis maldra,ad uberiorem victum alumnis suppeditandum scholæ novæ liberaliter donavit. Stipendia quatuor Herbornæ (sicut & quatuor beneficia Heidelbergæ) pro subditis suis ordinavit, ut inde veluti in seminario Reipublicæ plurimi plantarentur, educarentur, atque in pietate & doctrina vera informarentur, qui postea ad alios veluti per manus ad manus eandem plantarent ac propagarent, alios seduló docerēt,& strenué ad eam alios assuefacerent. O igitur Comitem piissimum, ô Dominum omni laude & quidem sempiterna dignissimum, cui usque adeó salus Ecclesiæ, cui salus Reipublicæ, cui pietas usque adeó cordi & curæ fuerit, ut nihil unquam, quod ad eam conservandam, augendam, propagandamque pertineret,prætermiserit! O terque quaterque felices subditos,quibus talis contigit Princeps,qui non solúm corporis,sed & animæ subditorū commodis, quám optimé quám rectissimé prospexit! Quid veró de sapientia tanti Comitis dicam?

Beneficia quatuor Herbornæ constituit.

Quatuor Heidelbergæ.

Sapientia.

cam? ea certé vel maximé claruit, non tantúm politica, ſed & quæ ſumma & maxima eſt, Chriſtiana, ſeu divina. Hac enim Chriſtum Jeſum factum á Deo patre nobis ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem & redemtionem cognovit. Mundi autem ſapientiā coram Deo ſtultitiam cum Paulo & Salomone duxit. Hac ſapientia Chriſtiana nihil á Jehova uberius, nihil præſtabilius hominum generi datum eſſe putavit. Hæc enim eſt vita æterna (ait Chriſtus Johan. 17. Patrem alloquens) ut te illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, recté cognoſcant. Hæc una nos cúm cæteras res, tum (quod eſt difficilimum) docuit, ut noſmetipſos noſceremus: cujus præcepti tanta vis, tanta ſapientia eſt, ut ea non homini cuipiam, ſed ipſi Deo meritó tribuatur. Nam qui ſeipſum norit, is omnis miſeriæ, omnis infirmitatis, omnis inconſtantiæ, omnis denique viciſſitudinis rerum humanarum memor, non ſolúm erga hujus virtutis autorem Deum, ſed & homines, ſubmiſſé ſeſe geret, & cúm ſeipſe perſpexerit, totumq; tentarit, intelliget quemadmodum á natura corruptus ac depravatus in hanc vitam venerit, quám inutilis ad omne bonum, quám proclivis ac propenſus ad omne malum fuerit, quantaque inſtrumenta habeat ad obtinendam adipiſcendamque non vitam, ſed mortem æternam, ac proinde animo efferri & ſublimes concipere ſpiritus & cogitationes deſinet. Quis enim erigeret criſtas, quis altas conciperet cogitationes, conſiderans ſe eſſe cinerem, pulverem ac terram? quis animo eſſet elato, ſe in peccato conceptum ac natum, ſuamq; vitam delictis variis inquinatam cognoſcens? quis animo efferretur, cogitans quám variis periculis vita noſtra ſit expoſita? quantis obnoxia malis? quám fragiles & infirmi ſimus, ita ut S. Scriptura nos & omnem ſplendorem ac magnificentiam noſtram floſculis agri mané virentibus mox veſperi languentibus comparet. Omnis caro fœnum, inquit Jeſaias cap. 40, & omnis gloria ejus tanquam flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. Quemadmodum enim flores agri vel falce demeſſos, vel vi ven-

Chriſtiana ſeu cœleſtis.

torum dejectos flaccescere, & perire videmus: sic hominis gloriam ac felicitatem subitaneo nec opinato casu everti, sæpiús audimus: unde præclaré admodum Marcellus Palingenius de fluxa & caduca hominis vita lib. 6. ita scribit:

Elegans descriptio vitæ hominis caducæ & fluxæ.

O curas, ô vota hominum vanosq; labores!
O spem fallacem, ô cæca solatia mentis!
O fluxum decus humanum, ô variabile tempus!
Quám brevis incerta & multorum plena laborum,
Et quantis nostra est obnoxia vita periclis,
Quæ jucunda quidem facie dulcisq; videtur!
Sed quantum intus habet fellis quantumq; veneni?
Quid sumus ô miseri, nisi pulvis motus ab aura,
Et fragili vitro similes umbræq; fugaci?
Atq; rosis quæ mané nitent, mox vespere languent,
Nunc vivi atq; hilares paulo póst vermibus esca:
Nunc pulcri ac validi paulo póst turpe cadaver.
Heu mihi, quid prodest congesta pecunia nobis,
Quid gemmæ, argentum atq; aurum pretiosáq; vestis,
Quid populos magnasq; urbes ditione tenere,
Marmoreosq; habitare lares, vultuq; superbo
Omnes despicere atq; parem se credere divis,
Si mors cuncta rapit, si tanquam pulvis & umbra
Deficimus miseri, si tam citó fastus & omnis
Gloria nostra perit nullum reditura per ævum?

Quid igitur glorietur homo se esse aliquid? quídve aliis exprobret, cúm ipse sit pulvis & umbra, οὐδὲν γὰρ ἐσμὲν πλὴν σκιᾶς εἰκότες: & ut Pindarus loquitur: σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Eadem hæc virtus quoque facit, ut Dei beneficio nobis aliísve concessa dona, rectè æstimemus, mediocritatem teneamus, concessam nobis agnoscamus, majora aliorum dona suspiciamus, magnifaciamus, & omnia nostra Deo fonti & autori accepta feramus, eique gratias agamus, certó statuentes, ea non ad aliorum contemtum & ludibrium, sed nominis divini gloriam potissimúm, Ecclesiæ deinde emolu-

emolumentum & proximi ſalutem eſſe in nos collata. Quid enim habes, inquit Apoſtolus 1. Corinth. 4. v. 7. quod non accepiſti? quod ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Facit hæc eadem ſapientia (de qua nunc loquor) ut agnitâ noſtrâ miſeriâ, minimè deſperemus: ſed ad Chriſtum Jeſum, unicum Salvatorem, unicum Servatorem, unicum Redemtorem noſtrum, relictis omnibus veluti ad ſacram (ut dicitur) anchoram confugiamus, certó hunc unicum ſtatuamus, ſua immerita morte & paſſione, pretioſoque ſanguine in ara crucis pro nobis effuſo, pleniſſimé ſatisfeciſſe pro omnibus peccatis noſtris, ac proinde ab omni Satanæ poteſtate nos liberaſſe confidamus: atq; in hoc tutó per Spiritus ſancti auxilium acquieſcamus, & cum ipſo eſſe deſiderio maximo cupiamus. Hinc regius ille Propheta David, Pſal. 73. Quid mihi eſt in cœlo & á te, quid volui ſuper terram? Item Johannes Apocal. ultimo, Veni Domine Jeſu; & ſpiritus & ſponſa dicunt, Veni. Hac virtute præſtantiſſima (ut redeam ad propoſitum) Comes ille noſter, Comes ille pius á Spiritu ſancto (cujus templum præclarum fuerat) imbutus, ceu lucidiſſima gemma & ſplendidiſſima margarita undiquaq; radiabat ac fulgebat, ac proinde terram & cinerem ſeſe cognoſcens, coram Jehova inſtar Abrahami Patriarchæ, Gen. 18. ſeſe humiliabat, peccatorem ſeſe cum Moſe, Aarone, Davide, Joſaphato, Hiskia, Joſia, Petro, Paulo, & aliis ſanctis fatebatur, peccata deplorabat, coram Deo ſeſe ſubjiciebat, hunc adorabat, hunc invocabat, huic ſe natum, huic ſe in baptiſmo oblatum, huic ſe educatum dicebat, ac ne Dominus cum ipſo ſervo inutili in judicium intraret, demiſſa humilitate petebat, & oblatione victimæ Mediatoris in ara crucis peractæ remiſſionem peccatorum & vitam æternam ſe impetraſſe certó credebat: hinc in rebus proſperis piam moderationē, in adverſis ſubeundis ac perferendis, animum robuſtum, excelſum atque invictum oſtendebat & declarabat. Sapientis enim animus magnitudine conſilii, tolerantia rerum humanarum, cōtemtione fortunæ, virtutibus omnibus ut mœ-

Humilitas ejus coram Deo.

Humilitas ejus erga proximum

hibus ſeptus vinci aut expugnari non poteſt. Erga proximum verò eam adhibuit humilitatem, quam vix ac ne vix quidem in ejuſmodi perſona illuſtri loco nata, & in alto imperii faſtigio collocata invenire liceat. Ut enim in conſtitutione membrorũ corporis humani ipſa membra, quantumvis alia aliis digniora, elatione, ambitione, ſuperbia haud inter ſe certant, neque ſeſe extollunt: ita generoſus noſter Comes, Comes ille pius, verum Eccleſiæ Chriſti membrum multis aliis præſtantius reliqua membra indigniora non contemſit, ſed omnibus honorem habuit, omnibus omnium ordinum hominibus humilem ſeſe prębuit. Sapientis enim animus nunquam eſt in vitio, nunquam turgeſcit, nunquam tumet. Hujus virtutis ſpecimen & documentum multoties illuſtre dedit. Teſtes ſunt omnes ejus aulici: teſtes ſunt ejus ſubditi: teſtes ſunt domeſtici: teſtes ſunt exteri peregrini, & quotquot unquam eum convenerunt. Atque hæc de ſapientia illa Chriſtiana, quam Spiritus ſanctus in pectore illius accendit.

Sapientia ejus politica.

In rebus politicis & ad vitam hanc terreſtrem pertinentibus, quám prudens, quám ſolers, quám ſapiens fuit generoſus Comes noſter, Comes ille pius? Quotieſcunque enim ardua atque gravis aliqua cauſſa decidenda, toties ſumma ſemper ſapientia ac prudentia utebatur; & quanquam ipſe ſapientia, prudentia conſilioque pollebat utplurimúm: tamen quia unum non videre omnia, oculosq; plus videre, quám oculum apprime ſciebat, unicé operam dabat, ut viros ſapientiſſimos, prudentiſſimos, doctiſſimosque ſibi conſiliarios adjungeret, quorum judicia & ſententias avidé audiebat, audita altiore rationis lance ponderabat, ac ſi é re vel in rem eſſe videbat, ipſorum judicio acquieſcens ſententiâ ſtabat; ſin minús, in ſuo ipſius conſilio judicioque perſeverabat: unde maxima ad ſubditos rediit utilitas. Ad Rempublicam enim, inquit Cicero 1. de invent. plurima veniunt commoda, ſi moderatrix omnium rerum præſtó eſt ſapientia; hinc ad ipſos quoque, qui eam adepti ſunt, laus, honor, dignitas confluit. Quid? annón & hoc evidentiſſimum

ſummæ

ſummæ ſané ſapientiæ argumentum putandum, minimeque negligendum, quód ſubditis & exteris quoque de cibo & potu proſpexit? Quemadmodum enim Joſephus ille pius, Patriarchæ Jacobi filius, in AEgypto ſub Rege Pharaone ſeptem annis fertilitatis & ſaturitatis magnæ, omne cibarium collegit, quod erat in terra AEgypti, & in manipulos redactas ſegetes in horrea AEgypti congregavit, repoſuitque per civitates cibarium: cibarium agri cujusque civitatis, qui circumſtat ipſam, repoſuit in ea, & congeſſit omnem commeatum inſtar arenæ maris, adó ut deſierit numerare, eó quód eſſet innumerus: cúm veró tota terra AEgypti annis inopiæ ſeu famis ex fame laboraret, aperuit promptuaria, & horrea univerſa in quibus commeatus erat, vendiditque AEgyptiis, Gen. 41. v. 48. 49. 56. Ita etiam generoſus Comes noſter, Comes ille pius fecit. Quotiescunque enim terram Dei Opt. Max. beneficio fructus largiores copioſioresque produxiſſe cognoſcebat: toties omnis generis fructus agri colligebat, atque per vicos, pagos, arces & civitates reponebat, unde poſtea urgente ita neceſſitate & clamāte populo, pretio juſto & æquo diſtribuebat omnibus ac ſingulis, mutuó etiam ſepe dabat, & ut meſſe finita etiā ſine fœnore tantundem reſtituerent, benigné concedebat. O igitur ſapientiſſimum Comitem & omni laude digniſſimum, ô patrem patriæ lectiſſimū, qui ſuis ita proſpexit. Eſt enim ſapientis, quicquid homini accidere poſſit, id præmeditari, & ferre moderaté, ſi advenerit, ſicuti teſtatur Cicero Philip. 2. O felices ſubditi, quibus tam benignus contigerat Dominus, tam ſapiens pater patriæ! Quid? quód ditionem ſuam non tantúm á bellis, direptionibus & devaſtationibus defendebat, ſed verbis etiam blandis & amicis ſingulari ſua ſapientia, prudentia & benevolentia erga militum prefectos & Duces hiſce annis tranſeuntium uſus, ne ulla injuria ſubditis ſuis inferretur cavebat, cúm vicini ſæpe moleſtos atque injurioſos ſentirent hoſpites. Alia ſapientiæ ejuſdem argumenta, ne in immenſum creſcat oratio, conſultó relinquo, ad alias

Joſephus.

Cura ejus in annonæ caritate pro ſubditis.

Justitia ejus. ejus virtutes progressurus. Ad justitiam itaque, quæ cuique quod suum est tribuit, accedo, atque hujus semper eum fuisse studiosissimum dico. Etenim subditis suis jus ex justo & æquo dicebat, omnibus cujuscunque ordinis facultatem & potestatem ad se veniendi dabat, omnes placidé audiebat, causas ipsorum cognoscebat, & non nisi parte audita utraq; judicabat, imitatus in hoc Alexandrum Magnum Macedonię regem, qui ut referunt historici, solitus est quoties in judicio actor aliquis causam dicebat, absente reo, alteram tantúm aurem præbere dicenti, & alteram manu occludere, ut significaret alteram se ad reum audiendum conservare salvam & integram, atque utranque partem ex æquo audiendam esse; imitatus Athenienses judices, qui jurare solebant juxta jus scriptum se pronunciaturos, & partis utriusque caussam audituros ex æquo: quin imó in hoc imitatus verbum Dei, quod hanc æquitatem docet Exod. 23. Non sequêris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut á vero devies: pauperis quoque non misereberis in judicio. Non declinabis in judicium pauperis: insontem & justum non occides, quia aversor impium, nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum. Item Levit. 19. v. 15. Non facies quod iniquum est, nec injusté judicabis: Ne consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Et pauló póst: Justé judica proximo tuo. Imitatus quoque Jobum, qui cap. 29. v. 14. sic de seipso refert: Justitiam induebam, & induebat me velut pallium & cidarim judicium meum; ut oculus eram cæco, & velut pedes claudo, pater eram egentibus, & litem caussamque quam non cognoscebam diligentissimé pervestigabam, & perfringebam molares iniqui, & é dentibus ejus ejiciebam prædam. Hunc hunc Jobum imitatus est in adserenda justitia generosus Comes noster, Comes ille pius, subditos homines esse meminerat, sibi divinitus esse commissos cogitabat, rationem omnium suarum actionum se Deo aliquando redditurum existimabat: itaq; plebei & tenuioris et-

Alexander Magnus.

Jobus.

ris etiam fortunę homines probé hoc videntes, haud ſecus ac pò-
pulus Iſraëliticus Moſen paſſim & ubivis locorum eum exſpe-
ctabant, ipſum conveniebant, ipſi libellos ſupplices offerebant,
cauſſam ſuam ipſi exponebant: nec veró ſpes eos fallebat. Non
enim inanes, nec triſtes á ſe dimittebat, ſed dijudicationem & li-
tis diremtionem ſæpiús dicebat. Et cúm metueret, ne forſitan
á ditioribus deciperentur pauperiores; vel á præfectis, quos con-
ſtituerat, jus frangeretur; ſuos quib. officia illa publica demanda-
bat, ad juſtitiæ ſtudia adhortabatur, ab avaritiæ criminibus de-
terrebat, non aliter atq; pius ille Joſaphatus Rex Judæ 2. Chron.
19. v. 6. Edicens judicibus, videte, quid ſitis facturi: non enim pro
homine judicaturi eſtis, ſed pro Jehova, qui vobiſcum futurus
eſt in rebus judiciariis. Quare nunc inſit vobis pavor Jehovæ,
obſervate & facite: non eſt enim apud Jehovam Deum noſtrum
iniquitas, aut acceptio perſonarū aut ſumtio muneris. Et pauló
póſt: Confirmate vos, & facite, & Jehova aderit æquo. Similiter
Regem Ageſilaum feciſſe legimus. Quotiescunque enim offi-
cia demandabat ſuis: toties adverſus inexplebilem pecuniarum
famem (quo vitio hodie plerique laborant) amicos illos admo-
nere conſueverat, ne tam pecuniis, quám fortitudine ac virtute
diteſcere ſtuderent. Et Epaminundas Thebanorum Dux cui-
dam egeno mandavit, ut á quodam ex amicis ipſius peteret
talentum; petiit & accepit: amico percontanti, cur id juſſiſſet,
quoniam (inquit ille) cúm vir ſit probus, inopia premitur: tu ve-
ró dives es, multa de publico depeculatus. Hos & alios Reges ju-
ſtitię ſtudioſiſſimos ſecutus eſt generoſus Comes noſter, Comes
ille pius. Optimé enim & apprimé avaritiam juſtitiæ obſtare vi-
debat, ſiquidem id experientiâ edoctus & D. Bernhardi lectione
imbutus cognitum perſpectumque habebat. Currus (inquit il-
le) avaritiæ vehitur rotis quatuor vitiorum, quæ ſunt, puſillani-
mitas, inhumanitas, contemtus Dei, mortis oblivio: porró ju-
menta trahentia ſunt rapacitas & tenacitas: his ambobus unus
auriga præſidet, ardor habendi: hic auriga ad urgendum trahen-

Adhortatio ejus ad juſtitiæ ſtudia apud cōſiliarios & officiarios.

Joſaphat.

Ageſilaus.

Epaminundas.

D. Bernhardus de avaritia.

tia, flagellis utitur acerrimis: libidine acquirendi & metu amittendi: hæc sola avaritia, quia plures conducere non audet, uno contenta est servo. Cúm igitur justitiam ipse adeó coluerit, eam aliis etiã adeó commendaverit, quis eum Comitem singularem & divinum, dignumq; qui orbis terrarum imperium tenuisset, non judicaret? Fortitudinem quoq; (ut ad alias virtutes descendam) quæ est virtus pro æquitate pugnans, strenué sectatus, æquitatem seduló defendit, injuriã non tantúm á se & suis, sed & aliis peregrinis propulsavit atq; exterminavit. Cúm enim Belgas inferiorisq; Germaniæ populos propter purioris & sincerioris religionis confessionem, miseré ab Hispano, & constitutis ab ipso inquisitoribus affligi, in exilium omnibus facultatibus spoliatos ejici, torqueri, cruciari, igne comburi, pœnisq; indignissimis affici audivisset, molesté hanc injuriam tulit, arma suscepit, pro æquitate pugnavit, & bella adversus Ducem de Alba, & reliquos inquisitores gessit, ac pro virili hanc injuriam ab inferiori Germania depellere gestiit. Anno quoq; 67. á magistratu superiori vocatus, urgente ita necessitate, arma suscepit, uná cum aliis viris illustribus in obsidione Gothæ comparuit, ac fortiter sese gessit. Reliquas virtutes, quæ in eo fulgebant plurimæ, si omnes ac singulas recensere velim, tempus me potiús quám verba deficeret. Singularis in eo erat humanitas, quantam vix unquam in ullo homine deprehendere licet, singularis clementia, nihilque tam regium, tam liberale, tamque munificum existimabat, quám opem ferre supplicibus, erigere afflictos, dare salutẽ, liberare periculis homines; singularis in eo fulgebat comitas, singularis erga quosvis bonos benevolentia, singularis in omnibus rebus, tam prosperis quám adversis moderatio. Inprimis veró in eo fulgebat ac radiabat maxima virtus, in egenos, pauperes scilicet, & ægrotos promtitudo, liberalitas & beneficẽtia. Esurienti enim juxta Esaiæ admonitionem, cap. 58. panem fregit, & pauperes vagos introduxit in domum suam, videns nudum operuit eum, & á carne sua sese non abscondidit; Erga omnes beneficus fuit, maxi-

Fortitudo ejus.

Abitus in Belgium.

Gotha.

Humanitas ejus singularis.

Comitas.

Beneficentia ejus in pauperes

maximé verò erga fidei domesticos, benefaciẽdo minimé segnis fuit; unde & tempore suo, hoc est, die novissimo copiosé metet, ubi pauperes & egeni testimoniũ de ipso perhibebunt; quin imó ipse Christus: Esurii, & dedistis mihi cibum; sitii, & dedistis mihi potum; hospes eram, & collegistis me; nudus, & amicivistis me; ægrotavi, & invisistis me, &c. Matth. 25. v. 35. 36. O igitur patrem egenorũ & pauperum! ô piissimum Comitem, qui nõ tantúm curam habuit pauperum paternam, sed & ægrotos visitavit, & é sua pharmacotheca juvit atque sublevavit. De temperantia, sobrietate, continentia, & aliis virtutibus cúm angustia temporis non patiatur, jam nõ dicam. Etsi autem multis magnisq; virtutibus á Jehova ornatus fuerit, ita ut omnium mortaliũ vel maximé clarus & beatus haberi potuerit: crucem tamen, quam Deus cœlestis, fidelis ac bonus pater, ut in igne tentationum probentur, ac ne in peccatis obdormiant, omnibus electis piis ac filiis suis imponit, sæpiús sensit. Ab anno etenim septuagesimo Salvatoris nostri, gravissimis morbis conflictatus multoties decubuit; curæ, solicitudines, ærumnæ, animi perturbationes ei auctæ sunt, inprimisq; hisce annis superioribus, ubi (ut alia omittam) filios quinq;, Dominum Eberhardum, nunc equitum prefectum, D. Ernestum, D. Gulielmum, D. Otthonem, D. Philippum, in Galliam pro religione sinceriori purioriq; asserenda, & injuria á serenissimo & Christianissimo Galliæ Rege, Henrico IIII. quem Guisiani & eorum sectatores jure hæreditario injusté privari conabantur, propulsanda, militatum abiisse videret, strenué pugnasse, & unum ex hisce filiis (prout belli ratio habet) gravissimé vulneratum & exanimem feré audiret, filium quoq; natu maximum, Dn. Johannem-Albertum inter ipsos armorum strepitus, inter ipsam Lotharingiorũ barbariem ac immanitatem pro Argentoratensis Reip. defensione degere, & nõ ita pridem filiũ Reinhardum ad inferiores Germanos, hoc est, Belgas transiisse audiret. Quem. n. patrem filiorũ conditio periculosa anxiũ solicitumq; nõ redderet? Quem misera liberorum

In ægrotos.

Morbus.
AErumnæ.

Anxietas & solicitudo pro filiis.

Jacobus Patriarcha. conditio non afficeret? Certé legimus Genes. 37. Patriarcham Jacobum, cúm filium Josephum, quem propter insignem probitatem præ reliquis unicé diligebat, fratres Midianitis vendidissent, & jugulando caprarum hœdum tingentes tunicā Josephi in sanguine attulissent patri Jacobo, & á fera mala devoratum asseruissent, vestimenta sua scidisse, & saccum in lumbis suis posuisse, ac luxisse filium suum Josephum diebus multis, acerbé admodum flevisse, ac dixisse, Descendam ad filium meū lugens ad sepulchrum. Similiter Gen. 42. cúm Simeon filius ejus in AEgypto á Josepho detentus fuisset, mœrore gravissimo patriarcham Jacobum affectum percepimus, & ad filios dixisse legimus: Me orbastis: Joseph non extat, nec Simeon extat; & de Benjamin, quem Josephus videre optabat, & proinde á fratribus adducendum curabat, eum vel maximé anxium ac solicitum fuisse constat. Non descendet (inquit) filius meus vobiscum; nam frater ejus (ut putabat) mortuus, & ipse solus relictus est; si acciderit illi mori in via quam ibitis, descendere faceretis canitiem meam cum dolore ad sepulchrum. Idem regem Davidem

Rex David. ex 2. Sam. 12. fecisse cognovimus. Postquam enim Jehova percusserat morbo puerum, quem ipsi pepererat uxor Uriæ, enixé & submissé pro puero Jehovam rogavit, jejunium jejunavit, ingressus pernoctavit, & jacuit super terram, neque quamvis á senioribus suis admonitus, erigere sese voluit, neque panem cum iis comedit. Itemque 2. Sam. 18. postquam de Absolonis morte nunciatum erat, Rex David conturbatus est valde, & ascendit in cœnaculum portæ, flevit amaré, sicque inter eundum dixit: Fili mi Absolon, fili mi, fili mi Absolon, utinam pro te mortuus essem, ô Absolon fili mi, fili mi. Quid igitur mirum, si generosus Comes noster, Comes ille pius, pro filiorum suorum salute & incolumitate solicitus fuerit? Præter has & alias ærumnas ac solicitudines, quibus obnoxii sunt mortales pené omnes, tandem morbus ille antiquus & gravissimus, quo cum multoties (ut dixi) conflictatus erat, decimatertia die Decembris, qua

ipsa

ipsa tres ejus filii, Dominus Eberhardus, Dn. Guilielmus, & D. Ottho, Argentoratum in militiam abibant, rediit, eum vicit, lectoque tenuit: quare se totum Deo Opt. Max. ut & antea per totius vitę curriculum commendavit, nihil tamen quod ad profligandum morbum pertinere videretur, prætermisit, sed quoniam vitæ finis ac terminus, quem Jehova ipsi constituerat, præstó aderat, omnia medicamenta irrito conatu sunt adhibita. Morbus enim indies augebatur, & resolutio corporis ac animæ instabat. Itaque ex hac miseriarum valle emigrare & dissolvi ardenter á Deo petiit, seriis suspiriis ac gemitibus cum Apostolo Paulo mori exoptavit, Cupio, inquit, dissolvi, & esse cum Christo Jesu Salvatore meo fidissimo. Viator enim (addidit) sum in hoc mundo, & cum Davide 1. Reg. 2. viam universæ terræ ingredior; tempus hoc accessisse lætor, & cum Simeone assevero, Nunc Domine dimittis servum tuum secundúm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutem tuam: scio enim æternam vitam per Christum Jesum Servatorem meum fidissimum, certó, certó mihi paratum, ac locum mihi ab eodem in cœlis præservatum esse. Ita enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, quam plené (ajebat) & perfecté possidere nequeo, nisi priús viam universæ carnis ingressus fuero. Qui enim mortuus est, liberatus est á peccato, Rom. 6. v. 5. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Is quidem, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus, etiam pro me, pro me, inquam, tradidit eum: quis intentabit crimen adversus electos Dei? Deus est, qui justificat. Quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imó veró, qui etiam excitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quem igitur timebo? á quo trepidabo? Christus Jesus fidissimus Servator meus fortitudo mea est. Etsi autē morbus indies auctus, corporis & animæ resolutionem non leviter urgebat, mira tamen patientia ac tolerantia morbi & mortis ipsius dolores gravissimos

Morbus antiquus redit 13. Decembr. anno 92.

Mortem antecedentia.

Consolationes in vita & morte.

Patientia in morte.

pertulit, atq; morbum hunc á patre cœlesti sibi immissum, dixit, neque eo se á dilectione Dei separari posse subjunxit. O præclaram vocē & testem bene sentientis animi de Deo vero! Quisquis enim ita affectus est, ut hujus lucis usuram nobis divinitus esse concessam, neque temeré nos occumbere, sed Dei Opt. Max. arbitrio hoc corpus exuere, & vitam non tantúm deponi, sed Deo jam committi sentiat, atque nomen Domini in extremo discrimine prædicet: iste certé animadvertet, præstó sibi adesse Deum portum & perfugium periclitanti. Hæc & alia plurima Scripturæ sacræ dicta egregia ac consolationis plena ipsemet in medium protulit, atque promtissimum paratissimumque ad emigrandum sese declaravit, & abdicata omnium rerum humanarum ac mundanarum cura, nihil aliud sese exspectare quám beatam ex hac lachrymarum valle evocationem emigrationemq; sancté affirmavit, quam etiam Deus Opt. Max. pro infinita sua & paterna misericordia benignissimé ei largitus est. Vicesima enim septima Decembris die, postquam conjugi dilectissimæ liberisque charissimis, secundúm exemplum Patriarchæ Jacobi, Gen. 49. valedixisset, & Deo omnipotenti commendasset, & filios ad pietatem & concordiam alendam admonuisset, nec non frequentibus consolationibus, quas aulicus ejus Concionator Dn. Johannes Maurus generoso Comiti, jam in agone mortis versanti, proponebat, hæc verba ex 14. Rom. adjunxisset, Nullus nostrum sibiipsi vivit, & nullus sibiipsi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive igitur ego (inquit) vivam, sive moriar, Domini sum proprius, qui me pretioso suo sanguine redemit. Ad hoc enim Christus meus & mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut & mortuis & viventibus dominaretur. Item: In manus tuas commendo, ô Jehova, spiritum meū; &, Domini mei fiat voluntas sancta. Adhęc cúm preces suas pastoris precibus adjunxisset, ardentissimas ex intimis cordis penetralibus eductas, easque lingua officium ægré faciente, voce Amen subjecta comprobasset, gestibus tandem,

Cura in morbo potissima.

Johannes Maurus Concionator aulicus.

Consolationes.

Preces.

dem, morte jam ad ipsum limen consistente, & lingua officium omnino negante, arctissimâ manuum quibus Dn. Maurum tenebat juncturâ, gemitibus ac suspiriis significasset, se in ipsa animæ exhalatione Deum invocare pro liberatione diu multumque desiderata, & ex animo expetita, inter frequentes illas consolationes & ardentes illas preces placidé obdormivit, & animam ei, qui dederat, qui crearat, qui sanguine pretioso liberarat, qui sanctificarat, hoc est, Deo Patri & Filio & Spiritui sancto placidé reddidit, ut ex hac terrena vita in alteram cœlestem & æternam vitam traduceret, id quod factum est inter 12. & 1. noctis, 27. die Decembris, anno Christi 92. cúm ipse Comes vixisset annos 52, menses sex, dies quatuordecim. O patrem patriæ! ô curtum Israëlis & aurigam ejus! ô tempus funestum! ô diem lachrymabilem! Nobiscum enim malé actum est, & ingemiscunt & lugent nõ immeritó uná cum conjuge ejus piissima, liberis præstantissimis, affinibus, cognatis illustribus, subditi & omnes boni, quód tanto viro, tam pio, tam bono patrię patre orbati sumus, quód tanto Comite, tam sapiente, tam justo, tam forti, tam humano, tam liberali & benevolo privati ac spoliati sumus. Nec sané video, quem finem inveniremus lugendi, nisi ex Dei verbo secundúm Domini voluntatem eum nobis ereptum nossemus, nisi etiam eum non amissum, sed præmissum, nisi bene, imó optimé, cum ipso actum esse sciremus. Collectus enim est á Domino, ne futura videret mala. Corpus quidem 5. Januarii die, Brunfelsii non sine multorũ lachrymis sepulturę mandatũ, ubi cum anima denuó conjungendũ, magnum illum judicii diem & mortuorum resurrectionẽ exspectat, anima veró ejus nunc in cœlis triumphat & æterna fruitur consolatione, sentiens gaudiũ illud, quod nec oculus hominis in hac vita vidit, nec auris unquam audivit, nec in cujusquam hominis cor unquam descendit. Reliquit etiam filios (qui luctum mitigare & solatio nobis maximo esse possunt) iisdem virtutibus ornatos, quos patris vestigia imitaturos plané confidimus: majo-

Mors ejus.

Sepultura.

res etiam natu ſecutos,&nunc ſequi eadem experti ſumus:de reliquis ætate minoribus cúm optima ſint indole, optimé quoq; ſperamus. Adſit illis æternus pater Domini noſtri Jeſu Chriſti,& illuminet magis ac magis animos & corda eorum,ut illi ſoli adhæreant,in omni pietate & ſanctitate illi ſoli ſerviant,largiatur etiam illis indies ſapientiam,prudentiam,juſtitia m& omnes omnino (quibus parentē pium illum Chunradum ornaverat) virtutes, ad regendos ſubditos, ad ornandos bonos, ad coërcendos malos,ad judicandū populum:ut inter bonum& malum recté diſcernant, cuſtodiantq; mandata Domini ad AEterni ipſius gloriam& honorem,Eccleſię veró & ſubditorum ſalutem &utilitatem ſempiternam,per & propter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: qui cum Patre & Spiritu S. regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen. DIXI.

DE